



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. IV. Alia argumenta solvuntur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)



## §. IV.

*Alia argumenta solvuntur.*

23. **C**ontra secundam conclusionem, in qua statuimus, obiectum formale terminativum divinæ voluntatis, esse etiam bonitatem divinam & increatam, non verò bonum ut sic, ut abstrahens à creato & increato, arguitur primò. Obiectum adæquatè terminativum alicujus potentia, continere debet omnia objecta particularia quæ possunt ab illa attingi, & de illis prædicari, ut patet inductione factâ in omnibus potentiis, & habitibus: Sed divina bonitas non habet illas conditiones, illa enim non continet creaturas, ad quas divina voluntas se extendit, nec de illis prædicatur, bene autem ratio boni ut sic, ut abstrahens à creato & increato: Ergo hæc, & non illa, est obiectum adæquatè terminativum voluntatis divinæ. Addi potest, quòd ratio boni ut sic, est prior bonitate divinâ & increatâ, utpote magis abstracta & universalis.

24. Respondeo distinguendo Majorem, debet continere omnia objecta particularia, continentia formali, aut eminentiali, concedo Majorem: continentia determinatè formali, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Bonitas divina non continet bonitatem creatam, continentia formali, transeat: continentia causali, & eminentiali, nego. Cum enim sit prima causa, & prima mensura totius bonitatis creatæ & participatæ à rebus, eminentissimo & actualissimo modo continet omne bonum creatum ad quod divina voluntas se extendit.

Ad illud quod subjungitur, nempe quòd obiectum formale debet prædicari de omnibus objectis materialibus, etiam distinguendum est: debet prædicari, vel in recto, vel in obliquo, concedo: in recto semper, nego. Ut constat in Theologia, cujus obiectum formale adæquatè est Deus sub ratione Deitatis, qui tamen non prædicatur in recto, sed tantum in obliquo, de Angelis & hominibus, aliisque objectis materialibus ab ipsa consideratis.

Ad aliud quod additur, dicendum est, quòd ratio boni ut sic non est prior bonitate divinâ, prioritate perfectionis, sed tantum prioritate prædicationis. Quando enim præcipuum analogatum continet perfectionem omnium aliorum, ratio communis non est perfectior illo: ut patet in sano, cujus ratio communis non est prior, nisi tantum prædicatione hominis; quia scilicet prædicatur de omnibus analogatis. Ratio autem objecti voluntatis divinæ, debet esse prima prioritate perfectionis, quia bonum, in quantum perfectum, terminat actum voluntatis, non autem in quantum abstractum.

25. Arguitur secundò contra eandem conclusionem. Voluntas divina vult & amat creaturas, non solum quatenus sunt in Deo, & prout in divina bonitate continentur, sed etiam ut sunt in seipsis; ut enim docet D. Thomas hic art. 3. ad 4. voluntas fertur ad ipsas res ut sunt in seipsis: Ergo creaturæ ratione sui terminant divinam voluntatem, & non solum ratione bonitatis divinæ, & consequenter ratione sui pertinent ad ejus obiectum formale terminativum.

26. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim Deus non solum velit & amet suam bonitatem, sed etiam creatu-

Tom. I.

**A**ras secundum ultimas illarum differentias; non tamen amat illas propter seipsas, nec propter creatam bonitatem quam in se habent, sed propter bonitatem increatam quæ ab eis participatur, sicut licet illas cognoscat in seipsis distinctè, & in particulari, non tamen immediatè, sed mediante essentia divinâ, in qua tanquam in causa, eminentissimo, & perfectissimo modo continentur, ut in Tractatu de scientia Dei fusè declaravimus.

**B**Arguitur tertio: Fides, spes, charitas, sunt participationes cognitionis & amoris divini; & tamen, etsi earum, obiectum formale motivum sit divinum, non tamen illarum obiectum formale terminativum. Nam fides v. g. ex motivo divinæ revelationis credit non solum mysterium Trinitatis & Incarnationis, sed etiam carnis Resurrectionem. Et charitas ex motivo divinæ bonitatis, non solum diligit Deum, sed etiam creaturas: Ergo idem de divina cognitione, & volitione dici debet.

**C**Respondeo negando Antecedens, quantum ad secundam partem: nam in virtutibus Theologicis, non solum ratio motiva, seu *sub qua*, sed etiam ratio *qua*, seu terminativa, debet esse divina formaliter; quia ratio *qua* & *sub qua* debent inter se proportionari. Unde obiectum formale terminativum fidei, est Deus sub ratione primi veri, & obiectum formale terminativum charitatis, Deus sub ratione summi boni, non verò aliquid abstrahens à Deo & creaturis. Neque obstat quòd fides se extendat ad mysteria creata, & charitas ad dilectionem proximi, quia talia objecta non attingunt nisi in ordine ad Deum, & ratione habitudinis quam dicunt ad illum, & nisi quatenus in eis aliquid divinæ veritatis aut bonitatis relucet.

**D**Arguitur quartò contra ultimam conclusionem. Si creaturæ essent obiectum materiale terminativum divinæ volitionis, sequeretur quòd volitio Dei libera, à creaturis dependeret, & quòd ex creaturis aliqua perfectio Deo accresceret: Utrumque est falsum, ut patet: Ergo &c. Sequela Majoris, quantum ad primam partem, probatur. Illud dependet ab alio quod sine illo nequit existere: Sed si creaturæ sint obiectum materiale divinæ volitionis, amor Dei liber, absque creaturis dilectis existere non potest: Ergo ab illis dependet. Secunda etiam pars suadetur. Quilibet potentia perficitur per hoc quòd se extendat ad objecta particularia, ut patet in scientia, quæ tanto est perfectior, quanto ad plura objecta particularia & materialia se extendit: Ergo si creaturæ sint objecta materialia & secundaria divinæ volitionis, amor divinus per extensionem ad illas perficietur, & sic ex creaturis aliqua perfectio Deo accrescet.

**E**Respondeo negando sequelam Majoris, quantum ad utramque partem. Ad probationem primæ, nego Majorem: quod enim unum non possit existere sine alio, non semper oritur ex dependentia, sed quandoque ex sola connexionione, ut constat in relativis, quorum unum sine alio nequit existere, & tamen unum ab altero non dependet, cum sint simul cognitione & naturâ. Constat etiam in divina omnipotentia, quæ non potest existere sine possibilitate creaturarum, & tamen non dependet ab illis, ac proinde ex eo quòd amor liber efficax creaturarum, sub ratione amoris liberi, sine creaturis non detur, malè colligitur dependentia illius

C C c

Disp. 27  
art. 1.  
§. 4.  
27.

28.

29.

30.



- à creaturis existentibus, aut futuris. Ad probationem secunde partis, distinguo Antecedens: qualibet potentia perficitur per extensionem ad objecta particularia; quando in objecto primario non relucet infinita perfectio, concedo: quando relucet, nego. Cum igitur in objecto primario divina voluntatis, reluceat summa & infinita perfectio, non potest perfici ex amore creaturarum, & extensione ad objecta materialia & secundaria.
31. Instabis: In objecto specificativo voluntatis create, omnis ratio bonitatis reperitur; ejus enim objectum specificativum est bonum ut sic, quod continet omnem bonitatem creatam & incretam, & tamen hoc non tollit, quin per extensionem ad objecta materialia & secundaria perficiatur: Ergo similiter, etsi in objecto specificante voluntatem divinam, contineatur omnis perfectio, hoc non obstat, quin ei ex amore creaturarum, aliqua perfectio possit accrescere.
32. Respondeo concedendo Antecedens, & negando Consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia licet bonum in communi, quod est objectum specificativum voluntatis create, contineat omnem perfectionem suorum particularium objectorum, continet tamen illam solum confusè, & imperfectè; non verò actu, distinctè, & perfectè; & ideò acquirit novam perfectionem ratione sui actus novi, & ex eo quòd de novo, expressè, & directè ad particulare objectum terminatur. In divina verò voluntate secus contingit, quia divina bonitas actualissimè & eminentissimo modo continet omnem rationem bonitatis; imò bonitates creatas perfectiori modo continet, quàm in ipsis creaturis reperiantur. Unde ex eo quòd divina voluntas ad ipsam divinam bonitatem terminetur, habet omnem excogitabilem perfectionem intra lineam voluntatis, & consequenter ex eo quòd ad creaturas terminetur, nulla ei accrescit perfectio.
33. Arguitur ultimò contra eandem conclusionem. Creatura non possit terminare divinam volitionem: Ergo neque esse ejus objectum materiale terminativum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Quod non est bonum, non potest terminare volitionem divinam, sicut quod non est visibile, non potest actum potentie visive terminare; & similiter de aliis objectis cujuscumque potentie, vel habitus: Sed creaturae non sunt bonae ante volitionem divinam, cum illa sit causa totius bonitatis & perfectionis in rebus, ut supra retulimus ex D. Thoma: Ergo nequeunt illam terminare.
34. Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Quod non est bonum in aliquo priori *in quo*, non potest terminare divinam volitionem, concedo. Quod non est bonum, solum pro aliquo priori natura & instantis à quo, nego. Similiter distinguo Minorem: creaturae non sunt bonae ante divinam volitionem, si *ly ante* dicat prioritatem instantis à quo, concedo: si dicat prioritatem instantis *in quo*, nego.
- Explicatur: Sicut si potentia visiva esset efficax ad faciendum suum objectum, etsi pro priori à quo non intelligeretur objectum existens ante visionem, quia tamen poneretur in re, in eodem instanti in quo fieret ipsa visio, tanquam terminus ejus, illa tunc esset notitia intuitiva, quia terminaretur ad rem ut existentem. Ita similiter dicendum est de volitione divina: licet enim illa praesup-
- A ponatur prioritate à quo ad bonitatem creatam quam causat, hoc tamen non impedit quin ad illam possit terminari; quia ad hoc sufficit, quòd talis bonitas ponatur in rebus, pro eodem signo, & instanti *in quo*.
- Vel secundo respondeo, quòd sicut in intellectu distinguitur dictio & contemplatio: dictio tanquam faciens verbum, contemplatio verò ut intelligens in verbo dicto objectum. Ita in voluntate divina potest distingui, quòd sit productiva bonitatis create, & quòd sit volitiva illius; & prima ratio praesupponitur ut faciens objectum, secunda verò ut amans objectum jam factum: quia etsi utraque ad voluntatem pertineat, non tamen eodem modo, sicut de dictione & contemplatione respectu intellectus, communiter docent Philosophi in libris de anima.

## ARTICVLVS II.

*An Deus diligat se necessario, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium?*

Suppono primò, quòd amor alicujus objecti duobus modis potest dici & esse necessarius. Primò quoad specificationem, quando scilicet voluntas est ad illud ita determinata, ut non possit illud odio habere, sed si in illud tendat, debeat in illud ferri per actum prosecutionis seu amoris; qualiter voluntas nostra est determinata ad bonum ut sic, & ad beatitudinem in communi. Alia dicitur necessitas quoad exercitium, quando scilicet voluntas ita est determinata circa aliquod objectum, ut non possit ab illius amore cessare: quo pacto Beati necessitantur in patria, ad Deum semper & continuo diligendum.

Suppono secundò, quòd Deus suam bonitatem diligit necessario, saltem quoad specificationem; cum enim in illa nulla ratio mali seu inconvenientis proponi possit ab intellectu divino, si aliquem actum voluntatis eliciat circa illam, debet esse actus amoris & prosecutionis. Solum ergo restat difficultas, utrum etiam eam diligat necessario quoad exercitium? & an ratio quòd D. Thomas utitur hic art. 3. efficaciter id ostendat?

## §. I.

*Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.*

Dico primò, Deum propriam bonitatem diligere necessario, utraque necessitate: id est, & quoad specificationem, & quoad exercitium.

Probatur conclusio, Primò quia Spiritus Sanctus procedit ex amore divinae bonitatis: Atqui processio Spiritus Sancti non est contingens, sed omnino necessaria: Ergo & amor divinae bonitatis.

Secundò, Deus necessario & essentialiter est beatus: Sed amor bonitatis divinae ad beatitudinem Dei requiritur: Ergo talis amor est omnino necessarius in Deo.

Tertiò, Omnis perfectio quae in creaturis reperitur, si imperfectionem in suo conceptu essentialiter non dicat, convenit Deo: aliàs summè perfectus essentialiter non esset: Sed amor bonitatis divinae in creatura intellectuali invenitur, & in suo conceptu formali non dicit imperfectionem: Ergo essentialiter convenit Deo, & consequenter non